

Q. K.
430,
9.

96796

II c
814

X 1860 175

Q. D. B. V.

De Judiciis Rho- diorum, consiliorumque, sive in tuendo statu suo, sive armorum societate, directione atque eventu, bello Macedonico-Romano II.

ex Livio, Libr. XXXIX. usque ad XLV. capp. div.
disputabunt publicè die 14. Junii,

M. JOHANNES GEORGIUS WILKE
DRESD.

&
CASPAR ABRAHAM à Schönberg.

WITTEBERGÆ

Ex Officinâ Typographicâ JOHANNIS RÖHNERI,
Academiæ Typogr. Anno M. DC LVIII.



21.



1140.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Main body of handwritten text, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text at the bottom of the page, likely bleed-through from the reverse side.



CASPARUM ABRAHAMUM

ÀSCHÖNBERGK,
EQUITEM MISNICUM.
Convictorem suum.

HÆc optima ratio, atqve iter verisimum est,
 Quò consequi olim civicum Sophos licet,
 Prudentiaq; cogere egregias opes,
 Exempla clara veteris, & novi simul
 Evolvere avi, consillq; quod latet
 Eruere pulchrè, quale de venâ suâ
 Aurum coruscum doctus artifex legit,
 Promitq; in auras, regiam gazam struens,
 Rebus gerendis grande presidium ut paret.
 Perge ergo, perge, premere, SCHÖNBERGI, banc viam,
 Et gnarus urge cœpta. Bellorum decus,
 Adoreaq; Martia haud tantum tuos
 SCHÖNBERGIOS, CASPARE, magna nomina;
 Sed litera erudita, & acria ingenI
 Sapientis arma, & eloquentia efficax,
 Summo locarunt gloria in fastigio.

AUGUSTUS BUCHNERUS.

I.

Prima ætas Populi Romani, & quasi Infantia sub Regibus septem fuit. Ubi per annos CCXLIV. circum ipsam matrem suam cum finitimis luctatus est. Adolescentiam CCL. anni explent. ab exactis nempe Regibus usque ad bellum Punicum I. Hic adversus externos correpta arma, primum pro tuenda libertate, mox finium proferendorum, dein pro sociis, tum pro gloria imperioque. Ceterum Italia subacta modo est. Lentis oppido progressibus, nec pro sequente incredibili augmento. Nisi quod semper facilius crescit dignitas, quam incipit: magnamque potentiam non difficulter assequimur, parvam cum labore & tardè.

II. Sequitur Juventa Imperii, & quasi quædam robusta maturitas. Dum victor populus per CC. annos, ad Augusti ætatem usque, per Europam & Asiam, Africamque, ac totum denique terrarum orbem, arma circumtulit, supputante *Floro* II. 1. 2. At planè aliter *Polybius*, & *Zosimus* ex eo, χρόνον προκοπῆς τῆς ῥωμαίων δυναστείας, *tempus incrementorum imperii pop. Rom.* L. & III. annis, nec iis totis quidem, circumscribunt; à primis belli Punicum II. motibus, ad eversum Macedoniae regnum numero ducto. Atque id volunt adeò, *Populum Rom. de occupando orbis imperio, ante bellum Punicum II. vix cogitasse: verum quia feliciter I. Punico vires suas esset expertus, ex successu animos sumsisse; ac mox oblatis occasionibus utentem, brevi spacio temporis, non sine ingenti miraculo, rem tantam simul propemodum & aggressum esse, & consummasse.* Quamquam enim victo Perseo, stabant adhuc Carthago, Syria, Asia, Pergamus, Cappadocia, Numidia, deinde Gallia quoque, Hispaniaque, Germani item ac Britanni & Thraces &c. qui populi omnes postea, diversis & occasionibus & temporibus imperio Rom. accesserunt: tamen subversis Macedoniae, ἢ τε αὐξήσεις καὶ προκοπὴ τῆς ῥωμαίων δυναστείας ἐτετελείωτο, *incrementa imperii Populi Rom. sunt consummata: eâ scilicet ratione, quod per bella dicto spacio LIII. annorum gesta, omnibus Europæ, Asiæ, Africae populis, qui alicujus essent momenti, expressa erat impotentiae confessio. Jamque eò res redierat; ut è notioribus tunc gentibus nulla esset, quæ ex æquo*

A

cum

cum Romanis experiri auderet. Omnesq; Reges ac Principes bene secum agi putabant, si precaria libertate fruerentur, Caes. ad Polyb. I.

III. Sed enimverò ad excellentiam istam non nisi inultatâ industriâ, continuisq; atq; immensis sumtuum sanguinisque impendiis, perveniendum erat. Exercuitq; Romanos Annibal maximè, cum quo pugnatum est decem & octo annis, tamq; variâ fortunâ, ut propius periculo fuerint qvî vicere. Jamq; tenebat Romam hostis, nisi fatum urbis imperaturæ, & successibus impar mens, ipsum in diversa abstulissent. Interim Italia ferè omnis, ac sociorum pleriq;, secuti fortunam ad Pœnos deficere, exteri Principes esse suspensi, quidam & fœdus cum Annibale facere: prouti metus qvemq;, aut spes, sive invidia extimulabat, nimix hætenus potentiæ Romanæ: cuius minuendæ datam amplissimam occasionem lætabantur. Hæc illa scrupulositas est in librandis potentiis, dum vim præponderantem ad æquilibrium reflectere alii qværun. Ut jam ipsa sibi potentiæ magnitudo ad majora incrementa officiat, tumq; maximè in præcipiti stet, cum ad summum pervenit. Sic Veneti Italis suspecti, *Gvicciard. IV.* Sic Hispani omnibus: ut ubi primum ab illis scribi miles ceperit, omnes sibi insidias strui arbitrentur. Nam vires Regis, & genti innata ambitio, & affectati orbis terrarum imperii opinio, etiam inania credibilia faciunt. Adeoq; prudentum iudicio, summum nunc est, ubi consistit Hispana potentia, & Monarchiæ illius velut Solstitium. documento mortalibus, *EAM demum potentiam tutam esse, quæ viribus suis modum imponit. Valer. M. IV, 1.*

IV. Inter fœderatos Annibalis PHILIPPUS quoq; erat, Macedonum Rex, quem æmulatio Alexandri M. & gentis nobilitas, & promptitudo sua insuper, industriaq;, maximè omnium verò OCCASIO incitabat: cum Romani Punicis armis districti ac fessi, non videbantur sufficere undiq; posse. Et quanquam ii deinceps, (dum verso in Africam bello, omnibus aliis levare in præsentia volebant) pacem cum Philippo utcunq; composuissent: acrius tamen postea, à vacuis pace Punicâ, & Philippo infensis, ac novis etiam ex causis, bellum, quod Macedonicum I. dicitur,

dicitur, repetitum est. Donec petenti Philippo, certior postremo pax daretur.

V. Ceterum redintegrata amicitia vasi metallino similis ferè est, quod hodiè splendet, cras æruginè obducitur. Et alius quidam, Injurias locis paludosis comparavit: quæ licet exsiccentur, facile tamen aquas iterum hauriunt. Igitur læsum inter & offendentem, remanent perpetuò quædam, quæ excusatione ac satisfactione depurgata satis haud sunt. Hic nunquam penitus persuadet sibi, offensum ita in gratiam rediisse secum, ut planè exterminaverit animo, omnem injuriæ memoriam & sensum: *Ac proprium insuper humani ingenii est, odisse quem læseris, Tac. Agr. XLII. 6.* Ibi cicatrix manet, quam offensa impressit, atq; ad primam occasionem sanguine iterum stillat. Frustraq; sunt, qui ex beneficiorum obligatione sinceritatem fidei audentius sperant. Nam beneficiis aliqui utuntur ceu floribus, tamdiu gratis, quamdiu recentibus. Sunt, qui cum multum acceperint, injuriæ loco ducunt, plura adhuc accipere potuisse. Amittitque adeo, quicquid infra votum venit, meriti nomen: dum gratitudo in id, quod intermittitur, conjicit oculos, et facile causam reperit, cur obstrictam se non sentiat.

VI. Philippus ergò post offensas primas, nunquam Romanis seriò voluit bene. Displicebant vehementer quædam pacis leges, quippe victo impositæ. Dein querelæ finitimorum, quibus accola gravis erat, ita audiebantur à Senatu Romano, ut eas non negligi satis appareret. Post sententiæ graves adversus ipsum. Largusq; ac facilis in amplificando dolor, etiam minuta quædam ad animum revocabat, ut altius reponderet. Jamq; haud sanè ruptionis dubius: quia verò immaturæ ad id vires erant, ad moram interponendam jussa interim fecit. Ut nunquam tamen remitteret animum à colligendis in pace viribus, quibus quandocunq; data fortuna esset, ad bellum uteretur. Sicq; non à Perseo belli Macedonici II. causa cepit, sed relictum id Filio à Patre est, simulq; cum imperio traditum, quod, si diutius vixisset, gesturus ipse fuerat.

VII. Ingenium PERSEO immoderatum ac vastum, quodq;

1126.

ultra ignaviam existimaret ingentibus ausis abstinuisse. Ipse
 ætatis flos, corpus laborum tolerans, animus diutinâ arte atq;
 usu belli inveteratus. Jam inde à puero Philippi contubernio,
 Romanis quoq; bellis, non finitimis tantum assuetus, multa
 suo ductu egerat. Ut sumtus, ut milites suppeterent, Pater
 providerat: auctis vectigalibus regni, metallis veteribus cultis,
 novis institutis, parataq; subole; dum procreare educareq; li-
 beros omnes coëgit. Annona ac stipendium in X. annos, ar-
 ma vel tribus exercitibus in armamentaria ante congesta. Ipsi
 auctoritas ingens, & super omnia vis quædam attractiva, ut sic
 dicam, quâ capere illicò ceterorum animos, sibiq; adjungere
 poterat. Qualem Henricum VII. Angliæ, Ludovicum XI.
 Galliæ, Ferdinandum Catholicum Hispaniæ Reges, *Franciscus
 Baconus* describit: *quos veluti tres Magos, inter Principes Euro-
 paos, ejus temporis æquales, pronunciat. Hist. Henr. p. 401.* Sed illi
 quidem prudentiâ & virtute affectum sive mereri, sive elicere.
 Perseus felicitate quædam suâ, & naturali bono, eum lucrife-
 cit. Nullo enim commendabilis merito, & intestinis exter-
 nisq; cædibus infamis insuper, per genera omnia vitæ errabat,
 ut nec sibi nec aliis, quinam homo esset, satis constaret. Fa-
 ctum est tamen, ut Asiæ Græciæq; civitates majestatem ejus re-
 vererentur, reges affinitatem expeterent. Multaq;, quæ non vi,
 non dolo, Philippus omnia expertus potuisset moliri, admi-
 rando rerum succesu Perseus illico tenuit.

VIII. Fuere, qui famâ & majestate Macedonum Regum
 præoccupati ista facerent. Quosdam ventosum ingenium im-
 pulit, quia Perseus magis auræ popularis erat. Fuere, qui Per-
 sea objectum Romanis vellent. Pars mutationis rerum avidi,
 quos æs alienum, & desperatio rerum suarum, eodem manente
 statu, præcipites ad novanda omnia agebat. Multi non ali-
 am ob causam, quàm pravo studio, quo etiam in certaminibus
 ludicris vulgus utitur, deteriori favebant. Aliquos tamen in-
 vidia extimulabat, quod superbè ac duriter, aut certè non pro
 spe suâ, habiti à Romanis fortè fuerant. In tam immenso ac vasto
 imperii corpore, vix poterat Roma omnes tantâ æquitate com-
 plecti, ut non aliqui crederent, deteriori se, quàm ceteros, con-
 ditione

ditione agere. Hinc æmulatio, & livor, atq; ex alienis com-
modis dolor, & in Romanos ira. eò periculosior sæpè, quò
injustioribus causis formam aut opinionem juris induerat.
Infestatq; affectus hic extrema provinciarum maximè. Ut e-
nim quisq; à Principe, & domicilio imperii remotior, ita suæ
conditionis interpres promptior ac intentior est. Et negligi fa-
cilè se credit, ad quem non præsentiori radio splendor ille ma-
jestatis pertingit.

IX Optimi & prudentissimi: *Si utiq; optio Domini potio-
ris daretur, sub Romanis quàm sub Regibus malebant esse. Si li-
berum inde arbitrium fortunæ esset, neutram partem volebant
potentiorē alterā oppressā fieri, sed illibatis potius viribus utri-
usq; partis, pacem ex eo manere: ita inter utrosq; optimam con-
ditionem civitatum fore, protegente altero semper inopem ab al-
terius injuriā.* Itaq; quieti interim, certamina utriusq; partis
ex tuto spectabant, ab eventu tam ardui, tamq; ancipitis ne-
gotii, consilia sua moderaturi.

X. Postquàm de bello utrinq; fatis constitit, missi à Ro-
manis per Asiam atq; Europam Legati, simul ut renovarent a-
micitias veteres, simul ut specularentur, num sollicitati animi
sociorum ab Rege Perseo essent. Idem ex alterā parte summā
curā factum. Et quò quæq; opulentior Respublica erat, eò
accuratiùs agebatur: quia super proprias vires, etiam minores
secuturæ majorum auctoritatem sperabantur.

XI. Sed confœderationes ceteras utriusq; partis, subsi-
diaq; omnia exterorum, recensere hoc loco non vacat. Cùm
propositum id modò sit: **JUDICIUM RHODIORUM, CON-
SILIORUMq;**, *sive in tuendo statu suo, sive armorum societate,
directionem atq; eventum,* pragmaticâ dissertatione exponere.
Ubi pro ætatis nostræ atq; ingenii modo, causæ ac ratio, vitia
quoq; & defectus, ac salubrior modus, penitiorq; actuum in-
doles, & prudentiæ reconditoris, quam lectio Historiarum spe-
ctare inprimis debet, sinus ut sic dixerim, & recessus excutien-
di; iiqve ipsi ad usus vitæ, & propiora negotiorum commercia
attemperandi erunt. Quorsum enim est amœnitates Historiæ
sectari modò, omisis ignoratisq;, quæ Reip. ac vitæ debentur,



utilitatibus? In allegandis verò exemplis, vetustiora illa secta-
bimur maximè. Nam quæ recentius accidere, sive obveniunt,
non tam vocabulorum, quàm rerum indicio fas est intelligere.

XII. RHODUS nobilissima maris mediterranei insula
est, Asiæq; objacet, & XXX. milliaria Germanica ambitu suo com-
plectitur. Urbes in eâ claræ olim, Lindus, Camirus, & Ja-
lysus, quæ postea Rhodus. Ceterum RHODIOS *nauticum po-
pulum Florus* vocat, II. 7. 8. *Agellius, Civitas Rhodiensis, inquit,
& insule opportunitate, & operum nobilitate, & navigandi soler-
tiâ, navalibusq; victoriis celebrata est, N. A. VII. 3. 1. Usq; adeo,
ut post Lydos Pelasgosq; & Thracas, quarti RHODII fuerint,
qui imperium maris habuere, per XX & III. annos, numerante
Eusebio, libro temporum MC. Strabo verò diuturnius aliquantò
spatium assignare illis videtur, quando θαυμασθὴν τὴν ὀπιμειλίαν
πρὸς τὰ ναυικά, ἀφ' ἧς ἐπυλασοκράτησεν ἡ πόλις πολὺν χρόνον,
admirabile Rhodiorum, circa rem nauticam, studium solertiâq;
memorat, à quâ per multum tempus mare obtinuerunt. Lib XIV.
Cicero disciplinam Rhodiorum navalem, gloriamq;, ad suam usq;
ætatem durasse ait: Or. pro L. M. LIV. Et Antoninus Imper. ad
Eudæmonem Nicomediensem, 1. 9. D. de L. Rhod. nauticas lites,
lege Rhodiorum decidendas esse, rescripsit. Vide Basil. quoque,
L. LIII. tit. 8. & explicantem ista prolixius Seldenum. Quâ verò
tempestate Alexander M. Asiam subegit, hæc quoque civitas rece-
pit præsidium. Nec diu tamen in fide mansit. quippe ut compe-
rit regis mortem, ejectis Macedonibus in libertatem se asseruit.
Diod. Sic. XVIII. 8. Posthæc amica pop. Romani, egregiam illi
operam, bello adversus Philippum Macedonico I. & dehinc ad-
versus Antiochum XL. annis præstitit. Florus l. c. Liv. XXXI. 46.
XXXIII. 2. & 4. XXXVII. 9. 22. 24. Nullo tamen fœdere sociali
illigata. βεβλόμενοι γὰρ μηδένα τῶν ἐν ταῖς ὑπερρχαῖς καὶ δυνα-
τείαις ἀπελπίζειν, τὴν ἐξ αὐτῶν ἐκκέρειαν καὶ συμμαχίαν, ἐκ
ἐβέλοντο συνδυάζειν, ἐδὲ πρῶτα λαμβάνειν σφῶας αὐτῶν ὅρκους
καὶ συνθήκας· ἀλλ' ἀκέραιοι διαμένοντες, κερδαίνειν τὰς ἐξ ἐκάστῶν
ἐλπίδας. Dum enim Rhodii, nulli Regum aut Dynastarum spem
auxilii societatisq; suæ, vellent abscindere, arctius se cum quoquam
copulare, & libertatem sibi jurejurando ac pactis præcipere vole-
bant.*

bant: Sed omnia sibi servantés integra, spes singulorum lucrari.
Polyb. Exc. XCIII. p. 924. Sive ut rotundè Livius, factum hoc esse
ait: ne spem Regibus abscinderent auxilii sui, si cui opus esset, nec
sibi ipsis fructus ex benignitate & fortuna eorum percipiendi. XLV. 25.

XIII. Non latebat in genere, sive Romanos sive Persea, quàm necessaria res sit, ad magnum imperium sive parandum sive firmandum, habere in suâ potestate mare. Vix enim ulla unquam fuit Monarchia, quæ iis quasi fundamentis innixa non fuerit. Quam ob causam Carolus V. Imp. & Dux Albanus, Philippo II. svaserunt, ut in mari potissimum armis & copiis militaribus præstare aliis niterentur: Idq; Themistocles etiam Reip. suæ olim commendavit. Romani verò, ubi semel maris potentes sunt facti, sedulò caverunt semper, perfeceruntq; adeò, ne ejus suæ potentiæ æmulos haberent. Itaq; victis primò & secundo Punico Carthaginiensibus, & postea Antiocho, lex inter primas fœderis conditiones dicta, ne ultra certum numerum, eumq; oppidò parvum, naves parare possent. Ambit & edomat terram Elementum hoc, inq; illo vis ac velocitas juxtà locum habent. In continente minantur arma, & ex unâ tantùm parte feriunt, in mari ex omnibus. Nulla verò tam vigilans cura est, tamq; ampla potentia, quæ oris omnibus prospicere ante, illasque sufficiente præsidio tueri temper possit.

XIV. Deinde verò cum RHODII XL. navium classem jam haberent in promptu, recenti argumento illorum societas se commendabat, quòd non favere tantùm, sed adjuvare etiam viribus suis bellum poterant. Sicuti disertè Perseus statuit, *adjunctam civitatem, penes quàm unam tum rei navalis gloria esset, nec terrâ nec mari spem relicturam Romanis, Liv. XLIV, 23.*

XV. Utraq; ergò pars vehementer studebat Rhodios sibi adjungere. Sed quid facerent RHODII, aut quid dicerent prociis suis? Arduum negotium totum erat, ancipitisque conjecturæ, cum & Perseus & Romani causam suam eum curâ ac speciosè agerent. Ac de cetero quoq; ipsa electionis sive perplexitas, sive periculum, non nisi difficillimam eam faciebant. Sentiunt ac sciunt gravissimæ rei molem, qui deliberationibus publicis interfunt, ac definire ea debent, quæ usita-

tis

es præceptorum cancellis, aut regularum indefinitâ latitudine
 circum scribi explicariq; non semper possunt. Unde summo
 ingenio, & accuratâ industriâ, & quadam, ut ita loquar felici-
 tate opus est, uti & de præsentibus, quæ mirè involvuntur inter-
 dum, expeditè verèq; aliquis judicet; & de futuris, quæ fortui-
 ta atque incerta sunt, conjiciat callidè ac quasi divinet. Me-
 morabilis est *Thucydidis* locus, quo non *Themistoclis* magis in-
 genium, quàm totius naturæ vires, quas magnis operibus un-
 quam illa commodavit, Philosophiâ insigni exposuit. Affere-
 mus igitur. *Fuit Themistocles*, inquit ille, *in præsentibus quidem*
expeditissimi rectissimiq; judicii, ejus autem quod eventurum es-
set, omnem plerumq; speciem animo, ac rationes præcipiebat; effi-
caciâ in moliendis gerendisq; quæ susceperat, singulari. Usu ali-
cujus rei destituebatur? non idoneo item judicio: quo aliorum ex-
perientiam assequeretur. Quod si ambiguae deliberationis inci-
disent negotia, nemo tam feliciter, quid potius factu, quid dete-
rius esset, discernebat providebatq;. Deniq; tantum ingenio polle-
bat, tantum præstabat celeritate consilii, ut quod factu ubiq; opus
esset, extemporali felicitate statim edisfereret. l. I. Nepos II. 1. 3. 4.
 Hujus ergò quamdiu consiliis civitas Atheniensium recta est,
 tamdiu se expedivit feliciter ubivis, & excellissimè floruit.

XVI. RHODIIS hoc loco deliberandum ante omnia e-
 rat, & ponderandæ utrinq; rationes, momenta item ac status
 rerum, ingenia partium ac vires, tum formulæ actionum, finesq;
 propositi, & quicquid in universum, tum præteritorum recor-
 datio, præsentiumque habitus ac norma, tum futurorum sive
 metus aut spes, suggerere poterant. Maximè circa initium
 actionis, ubi periculosissimi sunt, qui obrepere errores. Do-
 cet *Aristoteles Politicorum II. 4. principium appellari dimidium*
totius: itaq; parvum in principio erratum, correspondens esse ad
alias partes; & fieri non posse, ut si in primo peccatum fuerit,
non ad extremum malum aliquid evadat, V. 1. Lapis in lacum
 coniectus, tot circum fluctus continuâ serie excitat, ut cum ad
 extremam usque ripam pervenerint, infiniti propemodum sint,
 turbentq; omninò lucidissimum illud æquor, & purissimum
 speculum; in quo repercussæ rerum imagines, quæ perfectè
 antea

antea videbantur, nunc non nisi confusè se offerunt. Idem prorsus in animo accidit, ubi semel in errorem aliquem labi contigerit. Ex uno enim illo multi nascuntur alii, confuso jam & excœcato iudicio, excitatisq; voluntatis fluctibus, ut intelligentiæ facultas, rerum veritatem satis perspicere nequeat; dumq; unum errorem corrigere cogitat, in alium incidit, inde rursus in alium, ut tandem quamplurimi sint; quoq; à primo distant longius, eò grandiores sunt, non secus ac fluctus à centro, à quo excitantur, remotiores.

XVII. Primum consilium, & quasi fundamentum deliberationis sequentis fuerat, definire, ac certò statuere secum; *Sitne in partes concedendum?* Nam nisi hîc immotè constet, consilia vaga, & cunctabunda, atq; intuta sunt: dum neq; audemus satis, nec providemus.

XVIII. Ut quiescerent RHODII, movere eos potuit amicitia, quam cum utraq; parte coluerant hæctenus, nullis recentibus odiorum causis. Dein electio anceps, bellorumq; eventus in incerto. Quid ergò, si victis fortè se applicuissent? Illam ipsam fortunam, quâ adspirante, tam prosperè hucusq; Romani egerant, verebantur. Ex his enim quæ tribuisset ipsis, quàm mutabilis esset, reputabant. Sic arbores magnæ diu crescunt, unâ horâ extirpantur: sic magna omnia ruunt iterum, ceditq; oneri suo fortuna: sic nihil tam firmum est, cui periculum non sit, etiam ab invalido.

XIX. Contra ut moverent se, classemq; instruerent primum omnium, causa aperta ex incommodo erat, si tam vicino incendio, nihil ipsi interim pararent. De mundi æquilibrio dicunt Cosmographi, centrum gravitatis tam ex omnî parte esse æquale, ut pondus quodcunq; etiam minimum, terram commoveat. Quod idem in bellis accidit. Nullum quippe tam longè distat, quin centrum quietis Rerum publicarum aliarum immutet. Deceptiq; haud pauci sunt, qui dum aberant longius, existimabant periculum ad se non perventurum. Atque ut ne anticiparent fortè sumtus, improvidi & imbelles interea, postea & occupabantur ab hoste, & serò sapiebant.

B

Neg

XX. Nec minus interim obversabantur commoda quædam armorum, temporisq; occasio, ut *Svetonius* vocat, *Jul. XXXV. 3.* quam observavit callidè *Amyntas* apud *Curtium*. Hic enim versâ in bellum Asiâ & Europâ, *Alexandro Darioq; ducibus, utriq; regi hostis, & semper ex ancipiti temporum mutatione pendens, Ægyptum petere decrevit: ratus in illo statu rerum, id quemque, quod occupasset, habiturum, velut certo jure possessum.* IV. 1. 27.

XXI. Poterant fortè & famam belli carò vendere; si aut *Perseus* aut *Romani*, socios *Rhodos*, sive hostes, pecuniâ redimerent. Quo subtili consilio *Henricus VII. Angliæ Rex*, in negotio fœderis offensivi, adversus *Regem Galliæ*, usus est. Ingentem sanè hic alacritatem in Parlamento & Aulâ suâ, in consilio sanctiori quoq; , exceptis paucissimis secretorum arbitris, præ se ferebat: ut tamen interim nunquam seriò ad arma animum adjiceret. Sed id volvebat secum, quâ tandem ratione, duo quæ expetebat, obtinere posset. Primum erat, quomodo ex bello denuntiato & inchoato utilitati suæ inserviret; alterum, quomodo se à bello, cum opportunum foret, salvo honore subduceret. Utilitatem & emolumentum duobus modis aucupabatur: à subditis suis propter bellum; ab hostibus propter pacem: tanquam mercator prudens, qui lucrum facit, tam ex mercibus exportatis quam importatis. Quantum verò ad honoris considerationem, ne fama sua paulò ad metas hereret, si à bello desisteret, rectè secum agitabat: quod sicut auxiliis *Ferdinandi ac Maximiliani*, fidere securè non posset ad belligerandum: ita alterius impotentiam, alterius duplicitatem, & minus sincera consilia, semper præstò habiturus esset, ad pacem excusandam. Hæc omnia prudentissimè prævidit, nec minus artificiosè executus est. Inde omnia ex voto, veluti in gremium ejus, placidè delapsa sunt. Fueruntq; semper bella hujus regis, ipsi instar mineræ cujusdam admirabilis, quæ ferrum habebat in summo, aurum verò & argentum in fundo. Verba prudentissimi scriptoris, *Fr. Baconi*, l. c. p. 165. ff.

XXII. Deinde verò, ut *RHODII* manifestè irent in partes, alteramq; ex istis haberent hostiliter, ratio summa videbatur, quod neq; *Perseus* nec *Romani* concessuri facilè erant, ut bello

bello ipsi abstinerent. Si pertenderent, periculum quidem in præsens, in futurum ultio metuenda: quod utrumque mediis aut minatur aut accidit. Victor enim quia nihil illis debet, omnem ultrò occasionem arripit, ut eos opprimat. Maximè quia propter recens partam victoriam, auctas sibi vires animumque sentit.

XXIII. Si jam sedisset firmiter animo, partem alteram palàm sequi, ac defendere: deliberandum ulterius erat, quænam ex duabus illis, Perseine, an Romana societas amplectenda sit? Romanos commendabat causa justior, tum sinceritas fidei ac morum, inque amicitiam tuendam, constans, & per adversa etiam integra gravitas; ac postremò inveterata jam & certa insuperabilis potentiae fama. Quæ in societate illorum sequendam, Hiero Syracusanus, summâ sive iudicii rectitudine, sive felicitate, sibi proposuerat, apud *Polyb. I.*

XXIV. Ex diverso, ut Perseo addicerent operam, & ipsi argumentari facile, causasque excutere poterant, jamque ante legatus Macedonicus demonstraverat istas, dum Antiochum hortatur: μή παρεῖν τὸν καιρὸν, μηδ' ὑπολαμβάνειν πρὸς αὐτὸν μόνον ἀνήκειν τὴν ὑπερηφανίαν, καὶ τὴν βαρύτητα τῶν Ῥωμαίων. σαφῶς δὲ γινώσκειν, ὡς εἰάν μὴ καὶ νῦν αὐτὸς συνεπιλαμβάνηται, μάλιστα μὲν διαλύων τὸν πόλεμον· εἰ δὲ μὴ, βοηθῶν, ταχέως πῆρσιν λήψεται τῆς αὐτῆς ἑαυτῷ τύχης. h. e. *ne occasionem missam faceret, neve arbitraretur, ad unum se Romanorum superbiam & dura imperia spectare; quin potius pro certo haberet, ejusdem se quoque fortune periculum brevi facturum, nisi nunc ipsum adjuvaret, maximè quidem conciliandâ pace: sin minus, opem ferendo.* *Polyb. Exc. LXXXV. p. 911. 912.* Quod idem postea Mithridates Arsaci, epistolâ verè politicâ, ap. *Sallust. H. IV. & Galgacus Britannis suis, nobili oratione, in Tac. Agr. XXX. ff. inculcavere.*

XXV. RHODIIS optima visa est NEUTRALITAS: ut consuetudini largiar nunc vocabulum minimè Latinum. Ita enim se initiò gerebant, ut Romanis nihil negare, Perseo nihil promittere viderentur. Ita præferebant amicitiam Romanorum, ut adversus Persea nonnisi invitati hostilia ausuri viderentur,

1187.
fentur. Romanis non statim suspecti: Perseo non penitus vobis
lebant fieri formidabiles. Quod consilium haud parum sapi-
entiae nomine laudaverim.

XXVI. Posit sane Neutralitas ista perniciofa Rhodiis po-
tius videri. *Inter validos enim, & impotentes*, h. e. indomitos
& violentos, quique potentiae suae & affectibus moderari neque-
unt, (talis vero erat Perseus, saepe & Romani, quoties nempe
tribunitiis procellis agitabantur) *falso quiescas. Tac. Germ.*
XXXVI. 2. Nisi ea potentia sis, ut neutrum victorem metuere
necesse habeas. Ita enim armis abstinere, mediumque te gerere
consultum est: quoniam hoc modo, & periculum declinabis, &
sumtibus parces, & vires servabis integras, aliorumque errores
commodam saepe rei tuae augenda occasione, tibi submini-
strabunt. Id quod de Rhodiis tamen existimari non poterat.

XXVII. Deinde, *media illa via neque amicos parat, neque ini-
micos tollit. Liv. IX, 3.* Prudentissimeque Aristhaenetus Achaeorum
Praetor, apud eundem *Livium* disserit, XXXII. 21. 30. Is enim
cum audivisset consilium Cleomedontis, dicentis, bello inter
Romanos & Philippum, Achaeis expedire, ut medios se gerant,
armisque abstinentes quiescant, respondit in hunc modum:
*Quod Cleomedon, tanquam mediam & tutissimam vobis viam
consilii, ut quiesceretis, abstineretisque armis ostendebat, ea non
media sed nulla via est. Et rationem subjicit: Etenim praeter-
quam, quod aut accipienda aut aspernanda vobis Romana socie-
tas est: quid aliud, quam nusquam gratiam stabili, velut qui even-
tum expectaverimus, ut fortuna applicaremus nostra consilia, pra-
da victoris erimus. Sic alibi T. Quintius Flaminius, quod opti-
mum, inquit, esse dicunt, non interponi vos bello: nihil tam va-
num, imo tam alienum a rebus vestris est: quippe sine gratia, sine di-
gnitate, praemium victoris eritis, Liv. XXX. 49. 12.*

XXVIII. Ita Florentini, dum ambigua consilia sequun-
tur, Regis Galliae animum, qui de ipsis sibi multa pollicebatur,
vehementer irritaverunt. Ex diverso vero Pontificis odium
mitigatum haud est. Sicque sine ulla Reip. utilitate, neutralita-
tis suae fructum, Regi Arragoniae, qui cum illis libenter pepigis-
set, fruendum permiserunt. *Gvicciard. XI. De Senensibus Italico
quodam*

quodam bello neutram partem secutus, deinde ab utraq; factione hostiliter habitis, scitè olim Alphonsus pronunciavit, accidisse Senensibus idem, quod iis evenit, qui mediam domus partem incolunt. Tales enim & lotio perfunduntur à superioribus; & ab inferioribus fumo vexantur. *Panorm. l. IV.*

XXIX. Igitur fatendum id quidem est, quod parùm grata partibus illa RHODIORUM ἀδιαφορία futura erat: (proprio enim quodam fato invisus est, qui partium studium detrectat) sed fallor an innoxia, & minus periculosa civitati fuisset. Præsertim si consensione disceptantium, qui utrinq; RHODIIS amici, armis abstinerent. SABAUDIÆ Ducem medium fortuna inter duos potentissimos & æmulos Reges, Gallum atqve Hispanum, posuit. Unde Isthmo similis maximè est. Qui tamen inter vim & impetum duorum contrariorum æquorum, dum non uni magis quam alteri adhæret, benè se tuetur. Quid enim mare unum illi adimit, restituit alterum: & ipse adeò pugna utriusq; æquè potentis, integer conservatur. Ita Sabaudia Dux, quamdiu abstinuit armis, & se utriq; parti amicum probavit, securè stetit. At postquam Carolus Emanuel in partes concessit, exutus à Francisco I. meliori parte ditionis suæ, & à Carolo V. in pace, quam cum Francisco inerat, posthabitus, pœnas parum prudenter observatæ rationis & conditionis status sui dedit. Filius verò ejus Emanuel Philibertus, dum antiqvius illud sequitur institutum, recuperavit amissa haud tantùm, sed commodè etiam deinceps statum suum tuitus est: dum inter perpetuas Regum dissensiones immotus perstitit, suaqve consilia ita est moderatus, ut Hispano & Gallo æquè amicus, neutri eorum materiam suspicandi metuendiq; præberet. Carolus Emanuel deinde, Philiberti F. dum diverso iterum proposito, modò Hispano, modò Gallo adhæret, & occasione temporum non improspere aliquando bellat; id tamen postremò habuit inde, ut à Ludovico XIII. totà Sabaudia exueretur, Pedemontium autem Gallis, Hispanis & Germanicis militibus in prædam cederet. Sed verò qui successit filius, Victor Amadæus, Philiberti avi consilia amplexus, bene iterum habet, Hispano non adversus, nec Gallo contrarius. Dumqve uterqve Rex

Tōlicite cavet, ne Sabaudus ab altero opprimatur, ipse interim hanc mutuam vicinorum æmulatione securior est, & certius possidet quæ habet. Quam regulam status Gramondus eximie explicat, dum ait: Gallo & Hispano pro lege politica est, ut æquâ lance librentur protegendis regulis, quorum ipsis circumjacent feuda & principatus. Si quem Hispanus invadit, adest statim in subsidium Gallus; si Gallus cuiquam bellum infert, armatur Hispanus: quare id fiat, in plano est. Suspectant se invicem magni Principes, Regulosque in viciniis utriusque positos, pro muris habent, quævis dividi & tegi amant: altior invicem tranquillitas, si fuerit inter utrumque obex; & quando se invicem destruere nequeunt fortunam pares, amant Regulorum interjecta esse feuda, ne his forte alteruter augeatur: id votum commune utriusque Regum, maxime pro PEDEMONTIO, (quod Sabauda paret) quo terminantur utriusque dominationis confinia. H. G. L. II. p. 172.

XXX. Sed revolvimur iterum ad causam nostram, sive ad Neutralitatis Rhodiensis punctum. Commendabat eam præterea hoc quoque, quod & Perseus & Romani, mutuo inter se metu prohiberi videbantur, ne, pendente adhuc bello, RHODIIS nocerent. Quemadmodum bello inter Latinos & Byzantinos accidit. Ibi Chryseenses, etsi inter utrosque mediis habitarent, tamen neutrales se gerebant; idque sine periculo suo. Nam uterque hostium indigebat eorum operâ, & metuebat, ne hostiliter tractati, ad alteros sese adjungerent, plurimumque momenti ad se opprimendos afferrent. Pachymerius histor. Byzant. II. 4.

XXXI. Si penes Romanos staret victoria, nihil erat, quod timerent inde sibi. Gravitas enim gentis, & amicitiae jura, meritorumque veterum recordatio, non faciebant iræ locum. Sin præter omnem spem Perseus prævaleret, Rhodiorum libertas etiam sine eo interciderat, & ipsi accessio victoriae. In veto Perseo, vicinæ urbis splendorem ac liberas vires, æquis oculis adspicere. Ita enim expressè dixerat Legatus ejus Eumeni: Naturam inimicam inter se esse, liberam civitatem & Regem. Liv. XLIV. 24.

XXXII. Ex quo jam illud sequitur TUTAM hanc NEUTRALITATEM potuisse sperari. Ceterum duo in primis circa hæc animadvertimus. Primum est; Ubi quietem elegeris, aperte
illam

illam ostende, & approba partibus sinceritatem actus tui, ut certò credant, nihil te moturum. *Secunda cautio*: ne ii instruantur apparatus, quos formidare alter habeat necesse. Aliiter non est, quod otium in præsens, post securitatem speres. Videt enim ista, & recondit altè, quisquis non seriò agi secum putat, ac timet, gravius deinde nociturus.

XXXIII. Communis est partium in medios suspicio, indeq; odium, etiam cum accuratissimè quietem foveat. Quibus ergò animis acceptum Romæ fuerit, cum renunciarent Legati (quos per Asiam à Senatu missos diximus) *ceteras quidem civitates socias satis fidas, SOLOS RHODIOS FLUCTUANTES, & imbutos Persei consiliis, se invenisse*. Et quanquam non negligerent Rhodii purgare per Legatos ea, quæ de civitate suâ jactari vulgò sciebant: semper tamen creditum deinceps est, Neutralitatem Rhodios palàm induere; ad Persea per occulta, & magis fida, inclinare. Aggravabantq; , ut ferè fit, opinionem istam haud pauci alii, *βελόμενοι λογοποιεῖν κατὰ τῆς πόλεως*, genus hominum curiosum ac subdolum, qui detrahere civitati cupientes, dicta factaq; Rhodiorum manifesta, dubia, æqvè criminabantur. *Polyb. Excerpt. LXXII. p. 894.*

XXXIV. Igitur *Vellejus* quoque notat, Rhodios nihil in consilio habuisse, præter partium fortunam. Sic enim ait: *Quin RHODII quoq; , fidelissimi ante Romanis, tum dubiâ fide speculati fortunam, proniores Regis partibus fuisse visi sunt. I. 9. 2.* Nec aliter *Curtius*, *temporaria Græcorum ingenia, incertæ auræ famam captasse* scribit, *ut quocunq; , pendentes animos tulisset fortuna, sequerentur. IV. 5. 11.* Sic *Cn. Pompejum*, Magni patrem, *ita se bello civili dubiâ mediumq; partibus prestitisse, Vellejus* memorat, *ut omnia ex proprio usu ageret, temporibusq; insidiari videretur; & huc atq; illuc, unde spes major affuisset potentia, se exercitumq; deflecteret. II. 21. 2.* quo notabili caractere, ipsam illam rationem status exprimit, quæ *Pseudopoliticis* tantoperè semper placuit, ut non alios magis prudentiæ nomine commendarent.

XXXV. Porro, quorsum erat tam operosa XL. navium instructio? Fecerant id auctore *Hegesilo*, qui multis rationibus

bus

bus perfecerat tandem, ut omisſa, quam ſepe vanam experti eſſent, Regum fovendorum ſpe, Romanam ſocietatem, unam tum in terris vel viribus, vel fide ſtabilem, retinerent. Bellum imminere cum Perſeo: deſideraturos Romanos eundem navalem apparatus, quem nuper Antiochi, quem Philippi ante bello vidiffent: trepidaturos tum repente parandâ claſſe, cum mittenda eſſet, niſi reſiſtere naves, niſi inſtruere navalibus ſociis cepiffent. Id eò magis enixè faciendum eſſe, ut crimina delata ab Eumene, fide rerum refellerent. Liv. XLII. 45. Ceterum propoſiti iſtius ratio non aliter conſtabat, quàm ſi omisſa Neutralitate, partibus Romanorum manifeſtè accederent. Nunc verò, cum neutrales & eſſe & videri vellent, nihil aliud poterant apparatus iſti, quàm ut aut tormentum oculorum eſſent cupientibus, aut ſcopulus diffidentia, nunquam ſeſe, vicino armato, planè exiſtimantibus tutos.

XXXVI. Allegabant procul dubio RHODII, tuendi ſtatus ergò militem ſe alere. *Inermes enim provinciæ cuicunque ſervitio expoſitæ, in pretium belli cedunt. Tac. H. I. 11. 4.* Sic uti inter Antipatri & Spartanorum arma, Cretenſes has aut illas partes ſecuti, nunc Spartanorum, nunc Macedonum præſidiis occupantur. Curt. IV. 1. 40. Quæ miſera certè eſt conditio. Tales namq; metu & neceſſitate huc illuc transferri videas, prout fortuna hæc aut illâ manu, pilam excipit, remittit, projicit. Non fidei, non voluntati, non conſilio apud iſtos locus eſt: prout occupanti placuit, ita cauſam fortunamq; mutare coguntur. Accidit tamen perſæpe, ut quod neceſſitatis crimen eſt, voluntas putetur. *Seqvi enim videntur, qui prohibere non poſſunt. Curt.* Quo nomine Athenienſium caſum deplorat Vellejus II. 23. 4. 5. At RHODII hæc præſidium, à juſto exercitu, & potentiâ formidabili, diſtingvere omninò debebant.

XXXVII. Si ipſos intimiores RHODIORUM recenſus, ſecretaq; animorum, & conſiliorum hypotheſin eruas ſcruteris- que, SUPERBIA erat, ſive animoſitatem & confidentiam mollius dixeris: dum, quod ſemel illis non malè cedere res viſæ ſunt, ipſi audendum porrò, & inſtandum fortunæ colligebant. Itaq; jam magnificentius de ſe ſentire ac loqui, liberalius æſtimare-

mare vires suas, mirari situm suum, gestire in arma, & volvere animo ingentes successus: moxq; aqvales, dein superiores, postremò suasmets ipsi spes anteire. Mihi verò adagium Italicum vehementer placet, quo notatur, *nummorum, prudentia, fidei, minores semper inveniri rationes quam quis putaret.* Sed fortuna, quos uni sibi credere coëgit, avidos gloriae magis, quam capaces facit. *Curt. IV. 7. 29.* Quorsum enim erat vanissima persuasio, ut cum Agesipolis Rhodius, comiter aliquando habitus à Romanis esset, ipsi erigerentur illicò animis, & nescio quæ sibi somnia fingerent: sic argumentati, σημείον εἶναι τὴν ὑπερβολὴν τῆς Φιλανθρωπίας, τῆ δὲ δεινότητι τὴν εὐεστασίαν τῶν ῥωμαίων, καὶ μὴ χωρεῖν αὐτοῖς τὰ πρᾶγματα καὶ λόγον, inusitatam istam Romanorum humanitatem indicio esse, terreri ipsos imminente periculo, neq; ex animi sententiâ res ipsis succedere. *Polyb. Exc. LXXX. p. 906.*

XXXVIII. Accedebat vitium ingens Reip. quod Tacitus ostendit, dum ait; *Apud RHODIOS omnia populus, omnia imperiti, omnia ut sic dixerim omnes poterant.* *Or. XL. 5.* Idq; de præsentis negotio firmat Agellius, dum verba à plerisq; Rhodiensibus, in concionibus eorum ad populum, facta esse scribit, ut si pax non fieret, Rhodienses Regem adversus Populum Rom. adjutarent. *VII. 3.* Atq; ut magna civitatis pars perniciosis consiliis intacta esset, Dino tamen & Polyaratus, principes civitatis, Perseo fauebant: quod utrumq; Legati Rhodii fassi postea in Senatu sunt. *Liv. XLV. 42. 13.* Causæ autem, cur duo illi Regis partes tuerentur, istæ erant; quod Polyaratus quidem, homo ad ostentationem & inanem gloriam compositus, contracto ære alieno, bona sua omnia creditoribus oppignoraverat. Dino verò avaritiæ deditus, atq; audax, jam inde à principio vitæ, rei familiari, potentum & Regum largitionibus augenda, studebat. Quo notabili caractere, τὰς ἰσοβῆντας τὸ δημόσιον, molitores rerum novarum, & turbatores Reip. illorumq; ingenia, stimulos, irritamenta, artes, prætextus, spesq; improbas, aut desperationem, Polybius exposuit. Cum quo *Corn. Tacitus* conferri potest: qui sub exemplo Othonis, ita signanter & partitè totam hanc materiam executus est, ut disciplinæ integræ loco esse possit. *H. I. 21. ff.*

C

XXXIX. So

XXXIX. Solicitabat præterea RHODIOS fama Persei ex successu prospera; *biennio enim adeò variâ fortunâ cum Consulibus conflixerat, ut plerunq; superior fuerit. Vellej. II. 9.1* Tum Gentius Illyriorum Rex confœderatus, deque Eumene flectendo spes, & rumor cum magno numero peditum equitumve venientium Gallorum. Fortè & libertatis tuendæ cura, (uti id quidem M. Cato prodidit) *ne Romani Perseo quoq; Rege victo, ad superbiam ferociamq;, & immodicum modum insolerent: cum nemo hominum esset, quem vererentur. Agell. VII. 3.*

XL. Tam confuso civitatis habitu, vix videbatur sanis ac moderatis consiliis locus esse. Habet enim hoc ferè secum multitudinis potestas, ut libertatis modum egrediatur non raro, & regimen hoc, viris præsertim claris ac illustribus, grave atq; acerbum faciat: utq; in rebus arduis & treperis, læpè adeò nihil moderati compositiq;ve, vel consilii vel actus, per licentiam turbæ expediri possit. Igitur tunc ad sapientium, & Reip. serio intellectu amoreq; imbutorum monita & consilia, surdæ ut plurimum aures. Levisimus quisq;, & futuri improvidus, spe vanâ tumens, & periculorum quàm moræ patientior. Multis afflicta fides in pace, ac turbatis rebus alacres, & per incerta tutissimi.

XLI. Etsi verò de adjuvando Perseo publicum decretum factum haud sit; tamen cum haud multò post, auctoritate publicâ Legati Romam mitterentur, de reducendâ inter disidentes, pace: *πλεῖον ἐφάνησαν ἰχϋόντες οἱ τῆ Περσεως ἀρέμενοι τῶν σώζειν ἀποδιδόντων τὴν πατρίδα καὶ τὰς νόμους* manifestum erat, plus posse eos, qui Perseo fauerent, quàm qui salutem patriæ ac legibus consultum vellent. *Polyb. Exc. LXXXVI. p. 912.* Et accedebat insuper novus atq; enormis error, dum legatione aliâ, veterem cum Cretenibus amicitiam renovant, monentq;ve unâ, *βλέπειν τὰς κερὰς*, h. e. ut attenderent conditionem temporum, periculumq; imminens; ut facerent secum, communesq; haberent sive amicos sive hostes. Quæ cum resciscerent Romani universa, (erant verò curiosissimi talium) causa certe RHODIORUM pejor indies fiebat, donec *ἀναπόλογητος αὐτῶν ἡ ἀμαρτία*, excusationi locus amplius haud esset. *Polyb. l. c.*

XLII. Postu-

XLII. Postulaverant initio statim Legati Macedonici: Si pergerent Romani contra fœdus movere bellum, tum omni gratia, omni ope enitendum fore RHODIIS, ut reconcilient pacem. Si nihil deprecando proficiant, id agendum, ne omnium rerum jus ac potestas ad unum populum perveniat. Cum ceterorum id interesse, tum præcipuè Rhodiorum, qui plus inter alias civitates dignitate atq; opibus excellant: quæ serva atq; obnoxia forent, si nullus aliq; sit, quam ad Romanos respectus. Liv. XLII. 46. Instantibus postea Legatis novis, palàm à RHODIIS responsum est: bello finem se auctoritate suâ imposituros esse: itaq; ipsi quoq; Reges adhiberent animos ad pacem accipiendam. XLIV. 29. Complementum insolentiæ factum est Romæ in Senatu, ubi Legati RHODII superbe commemoratis erga Populum Rom. beneficiis, & penè victoriæ, utiq; de Antiocho Rege, majore parte à se vindicatâ, adjecerunt: Cum pax inter Macedonas Romanosq; esset, sibi amicitiam cum Rege Perseo ceptam; eam se invito, nullo ejus in se merito, quoniam ita Romanis visum sit, in societatem se belli trahere, interrupisse. Tertium se annum multa ejus incommoda belli sentire: mari intercluso inopiâ insulam premi, amissis maritimis vectigalibus atq; commeatibus. Cum id ultra pati non possent, Legatos alios ad Persea in Macedoniam misisse, qui ei denunciarent, RHODIIS placere, pacem eum componere cum Romanis: se Romam eadem nunciatum misos; per quos stetisset quominus belli finis fieret, adversus eos, quid sibi faciendum esset, RHODIOS consideraturos esse. Liv. XLIV. 14.

XLIII. Talem componendæ pacis actionem, Vellejus in causâ simili, intempestivum armorum arbitrium vocat, II. 50. 3. Certè imprudens admodum fuit, atq; ut Rhodii ipsi postea vocant, infelix consilium. Id enim consecuti inde sunt, ut nec ab utraq; parte gratiam inirent, ab alterâ etiam crimen & periculum esset. Liv. XLV. 23.

XLIV. Scilicet fiducia potentiæ & auctoritatis suæ, deceptorie & ridiculè inflaverat RHODIOS, ut animos Romanorum, qui toti propemodum orbi erant terribiles, suis frangi minis posse crederent. Non si ad tertium ab urbe lapidem castra promovisset victor Perseus, æquo animo accepturi legationem



talem fuerant. Ita enim tum mos erat, in adversis vultum secunda fortuna gerere, moderari animos in secundis, Liv. XLII. 62. Sive ut Polybius ait: ἴδιον γὰρ τὸ πάντη ὡσαύτως ῥυαίοις ἔθους καὶ πύττειον ἴσθι τὸ καὶ μὲν τὰς ἐλαττώσεις, αὐταδέστας, καὶ βαρυτάτας Φαίνοσθι καὶ δὲ τὰς ὑπὸ πτωχίας, ὡς μετρίωτατας. hoc est, ut victoriâ partâ maximè moderatos se præbebant Romani, ex veteri, ac patriâ, perpetuâq; observatione: ita acceptis detrimentis, obstinatos & pervicaces, maximeq; infestos se ostendere asseverant. Exc. LXIX. p. 891. Quæ res ad desperationem propè egit Annibalem, acerrimum hostem, jamq; jugulum ipsum Reip. prementem. An ergò hîc, non modò non perculsi, sed indubii mox victores, RHODIORUM unâ civitate, & exili classem moverentur.

XLVI. Itaq; graviter Livius: *nè nunc quidem*, inquit, *hæc sine indignatione legi audiri posse certum habeo: inde existimari potest, qui habitus animorum audientibus ea Patribus fuerit* XLIV. 14. Hic n. agendi modus, nec amicitia officio conveniebat, nec ei amicitia generi, quo RHODII amicos quidem Romanos, sed cum respectu eminentia, amicos venerabiles habebant.

XLVII. Applicandum hoc loco est, quod de MASSILIENSI negotio Vellejus judicat: *intempestivè urbem illam principalium armorum arbitria captasse; quibus ijs se debent interponere, qui non parentem coërcere possunt.* II. 50. 3. Quasi diceret: *Si Massilienses iis instructi fuissent opibus, quibus Caesar potuisset terreri compesciq; tum sanè quivissent dicere: Abstine portibus nostris Caesar, omitte arma adversus Pompejum, excede finibus nostris, aut pacato habitu ingredi.* Nunc stultitia erat Leges dicere ei, qui armorum minas armis eludere posset. Quæ Boecleri paraphrasis est, viri incomparabilis, notis ad h. l.

XLVIII. Longè prudentius consiliū præferebant initio Massilienses, apud Cæsarem: *Intelligere se, divisum esse populum Romanum in partes duas: neq; sui iudicii, neq; suarum esse virium, discernere, utra pars justiore habeat causam: principes verò esse earum partium Cn. Pompejum, & C. Cæsarem, patronos civitatis; quorum alter agros Volcarum Arecomicorum & Helviorum, publicè iis concesserit: alter bello victas Gallias attribuerit, vectigaliaq; auxerit;*
quæ

quare paribus eorum beneficiis, parem se quoque voluntatem tribuere debere, & neutrum eorum contra alterum iuvare, aut urbe, aut portibus recipere. B. C. I. 35. Quod responsum etiam Dio vocat ἀποκρίσιν ἀξιωματικῶν, L. XLI. p. 162. Sed mox dum Pompejum sequuntur Cæsaris causam damnabant; improvideque adeo fidem alteri approbare conati sunt, quam utriusque debebant.

XLIX. Ergo diversissima sunt, neutrius partis esse, & arbitria pacis bellique, inter partes sibi sumere. Illud prudentia aliquando & necessitatis; hoc non nisi ingentis potentia opus est.

L. Scio à foeminis aliquando, imbelli sexu, opportunè arma & efficaciter direpta esse. Nam & blandiorem hunc sexum ad pacem veluti genuisse videtur natura; & dum simplicius agere licet mulieribus, multa disceptationis semina suffocantur, quæ in magnas poterant difficultates excrescere, si inter eos tantum res gereretur; qui vel ex decoro sui sexus, vel ex formulæ suæ fortunæ, vel ex animi æmulatione, semper solent ἀντιστοιχεῖν ἑσθλαί, h. e. gravitatē quadam æmulâ, de non concedendo sibi invicem, veluti concertare; quod à mulierum ad viros actionibus longè abest: quarum etiam gratiæ plusculum dare civile habetur. Atque in genere certum id est, vehementer idoneos sæpè esse ad emuniendam paci viam eos homines, qui modestiâ vitæ & civili observantiâ, parti utriusque grati, venerantium ritu potius, quam disputantium, aut ex auctoritate mandatove tractantium, possunt excipere luctantis adhuc secum indignationis impetus, transmittere infesta, mitigare iniquiora, adeoque specie obsequii paulatim animis contententium dominari. Boeclerus in Tac. A. I. 10. 4.

LI. Sed planè aliter, hoc est, superbè minaciterque, & intolerando quodam tractandi modo RHODII egerunt, uti id supra vidimus. §. 43. Deeratque conciliatoribus istis super omnia FIDES & sinceritas actus, sine quâ interpositio quæcunquæ idolum est, & inanis opera, involvens potius actionem pacis, quam ut illam explicet conficiatque. Arbitri verò tales nihil inde, præter malam gratiam, quod sperent habent.

LII. Prætendebant quidem RHODII, ideo abs se Legatos missos esse, ad pacem inter Romanos & Persea faciendam, quod id bellum grave atque incommodum Græciæ omni, sumtuosum

ac damnosum ipsis Romanis esset. Sed responsum à Senatu est, RHODIOS nec utilitatum Græciæ, neque curâ impensarum populi Romani, sed pro Perseo legationem eam misisse. Nam si ea fuisset cura, quæ simularetur, tum mittendos legatos fuisse, cum Perseus in Thesaliam exercitu inducto per biennium Græcas urbes alias obsideret, alias denunciatione armorum terreret. Tum nullam pacis ab Rhodiis mentionem factam; postquam superatos saltus, transgressosq; in Macedoniam Romanos audirent, & inclusum teneri Persea, tunc RHODIOS legationem misisse, non ad ullam aliam rem, quam ad Persea ex imminente periculo eripiendum Liv. XLV. 3. Polyb. Exc. LXXXVIII. p. 913. f.

LIII. Misit deinde à RHODIIS legati novi, qui gratularentur Romanis de victoriâ, diluerentque crimina civitatis, responsum triste ferunt: Sociis & amicis, & alia comiter atque hospitaliter præstare Romanos, & Senatum dare consuesse. RHODIOS non ita meritos eo bello, ut amicorum sociorumque nomine habendi sint. Liv. XLV. 20. Ac sicuti de majestate Regum, Scipio Africanus dixit: difficilius eam ab summo fastigio ad medium detrabi, quam à mediis ad ima præcipitari. Liv. XXXVII. 45. Ita cum RHODII moti primum essent, non deerant illic, qui impellerent, & juvarent casum: moxq; qui floruerant excelsissime, ruinae proximi videbantur.

LIV. Scribit Livius: infestissimos RHODIIS fuisse, qui Consules, Prætoresve, aut Legati gesserant in Macedonia bellum. XLV. 25. maximè omnium verò M. Juvencium Talnam Prætozem, concitasse populum adversus Rhodios c. 21. Jamque promulgaverat hic rogationem: ut RHODIIS bellum indiceretur; utque ex magistratibus ejus anni deligerent, qui ad id bellum cum classe mitteretur; SE EUM SPERANS FUTURUM. Quâ pragmaticâ observatione, Livius intimiorem consilii istius causam ac rationem explicat.

LV. Præferebat incentor iste majestatem populi Romani à RHODIIS esse violatam. Rem tam divinam tam, sanctam & teneram ne attaminari quidem citra Reip. periculum posse. Pertinere ad securitatem populi, ne quisquam impunè id ferat. Ex indole delicti, nullum hic veniæ locum esse: dissolvi Imperii vim,

vim, nisi vincula, quibus continetur, ex quavis occasione arctius constringantur &c. Sed suas ille cupiditates in consilio habuit: & studium deforme lucri erat, quod magnificam publici decoris appellatione venditabat. Quosdam verò, ut idem velent, propensio quaedam ingenii impulit, quæ campum & aciem optabant. Alii, non esse eundem magnis meritis ac famæ, tranquillibus rebus, qui in bello, locum; aut quascunque tandem sui status rationes, reputabant. Ita in consultatione nobilissima Philippi II. quæ disquirebatur, an ad componendos motus Belgicos absque armis, vel instructo exercitu ire rectius esset? arma dissvadebat Rodericus Gomesius, Ferie dux, *homo in aula dominans, cui pax & quies imprimis curæ, nec quicquam antiquius, quam ne turbatis bello rebus, penes alios negotiorum arbitria, atque adeo potentia transferretur.* Contra Albanus Dux, necessitatem ultionis, & armorum decus commendabat, ut Gomesio, cui pacis artibus impar erat, bellorum meritis tandem præhaberetur, aut saltem acquireret locum, ubi quos pax & aula æquabat, campus & arma secernerent. Neque Gomesius abnuere postea. Licet enim invitus concederet æmulo palæstram novorum meritorum, quibus haud dubiè superabatur: tamen contentus fuit Regem domi retinere, æmulum ab aula distrahere, non parvis sanè curis implicandum. *ADEO consilia sibi quisque attemperat, & iudicium naturæ extorquente, putamus causæ tribuere, quod nostris interim moribus indulgemus. Fam. Strada de Bell. Belg. V. p. 282.*

LVI. Interim succubuerant indubiè RHODII fortiori invidia, nisi exurgens M. Cato, vir invicti cupiditatibus animi, & rigidæ innocentiae, contemtor gratiæ, divitiarum, & cui id solum visum est rationem habere, quod haberet justitiam: causam RHODIORUM adjuvisset. Meminit Livius orationis à Catone habitæ tum; XLV. 25. & affert particulas quasdam Agellius, quæ ostendunt satis, scriptam esse à viro auctoritate præstanti, sententiis quorundam iniquissimis permoto, & pro utilitatibus publicis, ac pro salute sociorum, graviter ac liberè indignante simul & dolente. *Usus enim est omnibus tuendi atque propugnandi modis, & nunc ut optimè meritos commendat: nunc tanquam si innocen-*

nocent

nocentes purgat, & ne bona divitiæque eorum expetantur, objur-
gat: nunc etiam quasi sit erratum deprecatur: nunc ut necessarios
Reip ostentat: nunc clementiæ, nunc mansuetudinis majorum, nunc
utilitatis publicæ commonefacit. Atque ut potuerint fortè distin-
ctius, numerosiusque ac comitius ista dici, fortius atque vividius po-
tuisse dici non videntur. Agell. VII. 3.

LVII. Et RHODII legati ipsi sordidâ veste, qui lugentium ha-
bitus erat, inque lacrymas effusi, & verbis in miserationem com-
positis, deprecabantur ultimum patriæ casum. Segregandam
esse publicam civitatis causam, à pravis Polyarati Dinonisque
machinationibus. Esse ubique improbos cives aliquando, & im-
peritam multitudinem. Et tamen nihil valuisse ultra Regios,
quàm ut RHODII in officio cessarent. Nihilominus sistere se
illos Romanis, supplicioque offerre. Non pecuniâ aut frumento,
non auxiliis ullis adjutum Persea. Voluisse Rhodios, nec pro-
bari: nec si eliceretur fortè, causam bello esse. Unum esse &
gravissimum in eo bello crimen, quòd Legati eodem tempore
ad Romanos & Persea de pace missi. Hoc infelix consilium à fu-
rioso oratore stultissimum factum. Sive jam superbia, sive stul-
ticia appellanda ea sit, dandam verborum veniam. Etiam Per-
sea ita compellatum. Sermone tumidum iracundos odisse,
prudentes irridere, utique si inferioris adversus superiorem sit.
Capitali supplicio nunquam vindicari. minus nunc perniciem
civitatis causari posse. Ut non gratiam bello isto, ita nec
pœnam se meruisse. Satis tamen correptos RHODIOS, quod
legati ipsorum ex sordido diversorio, vix mercede recepti, ac
propè hostium more, extra urbem manere jussi, in hoc squalore
in curiam venirent. Ad ultimum, memoriam veteris fidei meri-
torumque, quæ demonstraverint prolixè duobus bellis, gratiam
ejus culpæ, quod bello tertio cessatum sit, videri facere. Quæ
summa ferè orationis Rhodiorum est, à Livio perscriptæ, XLV.
22. §.

LVIII. Respondebatur ita RHODIIS, ut nec hostes fierent, nec es-
sent socii. Liv. XLV. 25. Quæ per se tristitia, quia majoris mali levatus
erat timor, cum bellum metuisent, in gaudium renunciata verte-
runt. Instabant tamen iterum iterumque & societatem Romanorum
solici-

solicite expetebant: quod ante hunc diem de industriâ omiserant. v. supra §. 12 Causa mutati consilii fuit, non quasi societas ista, tutiores eos ab aliis factura speraretur; (nec enim timebant quonquam præter Romanos) sed ut κατὰ τὴν ὑπέροχον τῆς ἑπιβολῆς, ex comparatione recentis actus, suspicionem omnem Romanis eximerent. Atque ut intelligerent ceteri quoque, qui occasione Romanæ iræ, insolentius paulò inceperant habere Rhodios, Populum Romanum, condonatis offensis, cum civitate in gratiam seriatim rediisse. v. Polyb. Exc. XCIII. p. 925. Senatus interim sine ullo explicito ac directo responso, παρέπιπεν αὐτῶν ποικίλας ἐμφορὰς περὶ τῶν μέλλων, modò spe, modò metu in posterum ostentato, RHODIOS dimittebat. Suspensosque diu tenuit, donec postremo obstinatis precibus, & subiectione humilimâ, societatem impetravere. Polyb. Exc. CIV. p. 932. fs.

LIX. Metuebant verò insuper Romani ipsi famæ suæ, ne quis divitiarum magis, quàm injuriæ, bellum inceptum diceret. Quod disertè retulit Cæsar ap. Sallust. B. Cat. LI. Cordata & gravis natio, illo in primis tempore, ubi ipsa ἀκμὴ τῆς ἀκμῆς, sub Scipionibus, Fabiis Maximis, Marcellis, Paullis Æmyliis, Metellis, & aliis ingentibus viris: ubi exempla fidei, fortitudinis, justitiæ, generosæ & altæ mentis, adeò insignia, ut præ raritate apud posteros, fides factorum propè laboreat. Nimia deinde felicitas, adversus quam non satis cauta mortalitas est, tam sanctos mores afflixit. Ex divitiis enim luxus: inde avaritia; nec quicquam turpe, quod esset quæstuosum.

LX. Grande populi Rom. vitium est, quod nunc afferam. Ammianus Marcellinus, cum de subiectione Cypri agit: Non piget dicere, inquit, avidè magis hanc Insulam pop. Romanum invasisse quàm justè. Ptolomæo enim rege fœderato nobis & socio, ob ararii nostri angustias, jussu sine ulla culpâ proscribi, ideòque hausto veneno, voluntariâ morte deletò, & tributaria facta est, & velut hostiles ejus exuvie classi impositæ, in urbem advectæ sunt per Catonem. XIV. 27. Apertè & verè ita, ac planè ex officio Historici. At Florus verò in exponendo isto facto callidè, ut videtur, obscurus est, & involvit narrationem, ut tamen indignitas rei deprehendi adhuc possit. Sic enim ait: Aderat fatum insularum; igitur etiam Cyprus recepta sine bello. Sed divitiarum tanta erat fama, nec falsò, ut victor gentium populus, & donare regna consuetus, P. Clodio Trib. duce,

D

socio

4188.
socii viviq; regis confiscationem mandaverit. III. 9. 1. 3. Jam vide mi-
rū Velleji Schema: Misum Catonem dicit in Cyprum Insulam,
ad spoliandum regno Ptolomæum, omnibus morum vitiis eam con-
tumeliam meritum. II. 45. 4. Quasi verò morū vitia Ptolomæum
regno exuere, & Romanis spoliandum tradere debuerint. Alii
alios prætextus quæsière, & in Clodium culpā omnem referunt.
Verūm hi colores sunt, quibus appingendis, valdè solertes sunt,
magistri & ministri dominationis: ut iniquitas, avaritia, ambitio,
sub virtutum & juris nominibus lateant. Bœcler. not. ad b. l.

LXI. Hæc RHODIORUM consilia, hic consiliorum eventus. Illa
imprudencia sanè: hic infelix ac tristis, parumq; abfuit, civitati
extremus. Quod MASSILIENSIBUS, quos æqvè infeliciter errasse,
S. 47. 48. diximus, accidit. *Cæs. B. C. II. 22.* Subacta n. urbs, & magis
pro nomine & vetustate, quàm meritis, conservata quidem à Cæsa-
re, in triumpho tamen ostensa fuit. Documento insigni, cautâ
quadam, & prudenti consiliorum moderatione, tutius, quàm im-
petu & præsumtuosâ confidentiâ, res niti ac stare.

LXII. Fuit RHODUS veterum studiorum, & eloquentiæ memo-
riâ nobilis. Romaniq; ideò huc, non minùs quàm ob amœnita-
tem & salubritatē insulæ, concedere solebant. De MASSILIA quo-
que id constat, sedem ac magistram studiorum urbem hanc fuisse;
Romanisq; omisâ peregrinatione Atticâ, Gallis itē, Hispanisq;
& omnibus quibus licebat, Philosophiæ Græcæq; lingvæ gratiâ
frequentatam. *Tac. A. IV. 44. 4. Agr. IV. 4. Val. M. II. 6. Strabo II.*
Justin. XLIII. 4. Et disciplinam illius civitatis gravitatemq;, non
solum Græciæ, sed & cunctis gentibus, Cicero anteponit, *Or. pro*
Flacc. Adfuerunt ergò proculdubio viri prudentes, & periti ge-
rendarum rerum, qui ratiocinari ista facilè, & eventum animo
assequi, indeq; notare errores, & convenientiora statui suggere-
re potuissent. Sed aut exclusit consilio eos civium intemperies,
neq; obtemperatum monitis illorum est, aut fortè tum pruden-
tes illos, directâ iudicii norma, & providus fortunæ publicæ in-
tellectus, sapiendiq; felicitas destituit. In altâ nocte, & sub den-
sis tenebris posita futurorum imago est. Unde providentiæ com-
mendatio, ad virtutis humanæ modū exigi debet: quem imple-
visse sufficit; superasse, aliquando fortunæ, nunquam solius ra-
tionis munus fuit. Nisi in RHODIOS aptius fortè cōvenit Gramon-
di observatio, dum notat: esse & magnis viris errores suos, in quos
obtus.

obtusâ interdum acie, malè impingunt, pejus infantibus. H. Gall. XIII. p. 587 Maximè si utilitatem ac decus publicum, unicam consiliorum legem, non tam rebus ipsis, quàm ingenii quâdam inclinatione, cui studia privata statim accedunt, metiuntur.

LXIII. Evenit sanè in negotiis arduis, *ut non perinde dijudicari possit, quid optimum factu fuerit, quàm pessimum fuisse, quod factum est.* Tac. H. II. 39.6. Quando vel ipsa res ancipitem deliberationem habuit, aut latuit forte aliquod momētum rei, sine quo plus temeritatis quàm rationis habuisset tam grande consilium. Neq; vituperandi ideò tam acerbè sunt, qui fortunam, in penetralibus suis, arcanâ solertiâ deliberantem, simulantemq; mirificè, deprehēdere non potuerunt. Sed RHODII & MASSILIENSES fortunam non possunt accusare. Neq; enim difficultate inexplicabilis negotii lapsi sunt; sed quòd incogitantia, aut ex perveris quibusdā regulis status, non nisi obiter, corruptoq; iudicio, æstimatis momentis rerum, consilia sua provisionesq; dispensavere.

LXIV. Debentq; RHODII cunctis seculis esse documento, quàm ipsa se detegat atqve impediatur fraus, & quàm se illa suis induat & capiat laqueis. Proculdubio RHODII, tùm, de grandi saltem atq; arcanâ sapientiâ five loquebantur aut somniabant. Et subtilissimam istam ampliandi status, magnæq; famæ rationem arbitrabantur: si armati ipsi, neq; explicitè dicto proposito suo, ceteros tamen suspensos haberent, oblaturos quædâ suâ sponte, aut per occasionem invadendos. Opportuna conatibus, faciendoq; quæstui, ea tempora, cum potentiores litigant invicem: conversis quippe in summâ rerum animis, minora sine curâ haberi. Interim præferendam amicitiam, & extollendos utrosq; esse, ut, si opus sit, incautiores decipiantur. Deniq; hoc solo pretio placere tam prudens inventum, quod ad perpetuam ipsorum gloriam spectet, RHODIOS inter duas potentissimas gentes ARBITROS fuisse. Dum enim utraq; meruerit sibi, transegisse potius pactione qualicunque. Ceterum malè isti homines VIRTUTEM à PRUDENTIA disjungebant; sine quâ tamen hæc calliditas est, & malitia, & quidvis potius quàm prudentia. Non credunt hoc, qui didicere horribile dogma,

Vis & nequitia quicquid oppugnant, ruit.

Sed animadvertere debebant, fieri sanè interdum, ut dolum & vim aliquantis per successus comitetur: sed paulò post vim ipsam, nequitiam ipsam, irreparabili lapsu, & metuendo ruere, regnisq; ingentibus ingentem perniciem consciscere. Facitque huc, quod apud Tacitum


1870.
QK
TC
814
cum verisimè traditur, INTUTA esse, QUÆ INDECORA. H. I. 33. 4.
LXV. Ergo dicendum id quoque amplius est, aliquas fuisse hoc loco, &
magnas FATI partes. Rectè enim dixit Poëta:

Quoties alicui destinat clades Deus,

Vim cedit illam in mente quæ deliberat.

Quod etiam Vellejus censuit II. 57. 3. Nisi quod gentilium ista loca,
à Stoicæ necessitatis hypothesei repurganda antè, & ad Christianam
Philosophiam diligentius exigenda sunt. v. Boecl. not. it. II. 118. 4.
Habent hoc ferè grandes illæ & opulentæ urbes, ut confidentius
securiusque peccent: dum in turbâ & confusione hominum, vitia ab-
sconduntur simul & exeruntur. Luxus verò, libidinesque intole-
rabiles, & fastus, & nimia omnia, nimium deinde illis exhibent nego-
tium. Dum n. amplitudinem suam potentiatiq; mirantur ipsæ, sibi que
applaudunt, urbes se inter tot prospera obliviscuntur, & majora quam
capiunt spirant; qui proximus ad ruinam gradus. Videt enim ista
Justitia vindex, adestque in tempore, & ultionem sive minatur, aut
absolvit. Quod RHODIORUM atque MASSILIENSIVM hinc casus;
inde metus excidii, luculenter monstrant. Cum Tacitus acerbitatem
temporum, & nullo non malorum genere pressam quasatâq; Remp.
suam exposuisset, addidit postremo: *Nunquam magis atrocioribus popu-
li Rom. cladibus, magisve justis judiciis approbatum est, non esse curæ Diis
securitatem hominum, esse ultionem.* H. I. 3. 4. Impiè profectò, ex impati-
enti dolore. Nam cum ex parvis initiis in immensum Roma se extolle-
ret, cum ejectus urbe Gallus, Annibal averfus; cum ex mediis bellorum
civilium turbis Resp. emergeret iterum, inq; optimum statum ab Au-
gusto componeretur: vigilavit utiq; in salutem Romanam DEUS. At
verò postquam seipsam ferre Roma nequvit, felicitatiq; impar fuit, &
mersa vitiis suis est: tum libidinem dominantium, ac flagitia popu-
li, vindicta Numinis insequebatur. Expressitque Sallustius pauculis
verbis, quando fortunam cum moribus mutari ait, B. C. III. veram ac
præcipuam, omnis fragilitatis, mutationisq; ac conversionis in Rep.
causam. Ut planè cœci sint existimandi, qui fortè casuque talia eve-
nire, aut necessitate invidiaque fati, humanis rebus immitti credi-
dère. Poteratque Tacitum, si de causarum inter se nexu contextu-
que, paulò magis attentè cogitasset, vel sola ratio docere: *Esse quidem
Deo, (nam Dii hinc nulli sunt) curæ securitatem hominum; sed cum homi-
nibus ipsis sua securitas non est curæ, non posse aliter fieri, quam ut
Deo sit curæ ultio hominum, sua securitatis fortunam tam
protervè conculantium.*

SOLI DEO GLORIA: VDTT



B.I.G.

Farbkarte #13

Q. K.
430
9.

48796
IIc
814

1860 175

Q. D. B. V.

De Judiciis Rhodiorum, consiliorumque, sive in bello Macedonico-Romano II.

tuendo statu suo, sive armorum societate, directione atque eventu,


ex Livio, Libr. XXXIX. usque ad XLV. capp. div. disputabunt publicè die 14. Junii,

M. JOHANNES GEORGIUS WILKE
DRESD.

CASPAR ABRAHAM à Schönberg.

WITTEBERGÆ

Ex Officinâ Typographicâ JOHANNIS RÖHNERI,
Academiæ Typogr. Anno M. DC LVIII.



21.